



# MEANDER

ROK LXXX 2025: s. 269–273  
ISSN 0025-6285  
DOI: 10.24425/meander.2025.157198

DAMIAN PIERZAK

ORCID: 0000-0002-4140-842X  
e-mail: damian.pierzak@us.edu.pl

*Institut Literaturoznawstwa, Uniwersytet Śląski w Katowicach*

## DE URBE A SIMIIS CONDENDA\*

### ON APES FOUNDING A CITY

**Streszczenie:** Opatrzona krótkim wstępem bajka stanowi zabawę literacką, dla której inspiracją było jedno z ćwiczeń retorycznych ze zbioru *Progymnasmata* Pseudo-Hermogenesa w łacińskim przekładzie Pryscjana. Przedstawiona historyjka o małpach zakładających miasto może służyć za przykład dla studentów pragnących rozwijać swoje umiejętności pisania po łacinie.

**Słowa kluczowe:** Pryscjani; bajka ezopowa; wstępne ćwiczenia retoryczne; małpy w literaturze antycznej; zabawa literacka

**Summary:** The present fable, accompanied by a brief introduction, is a literary exercise inspired by one of the rhetorical exercises from the *Progymnasmata* of Pseudo-Hermogenes, as translated into Latin by Priscian. The following story about apes founding a city can serve as an example for students wishing to develop their Latin composition skills.

**Keywords:** Priscian; Aesopic fable; preliminary rhetorical exercises; apes in ancient literature; literary exercise

---

\* *Acroasis habita exeunte mense Maio anno 2024 in aedibus Facultatis Philologicae Universitatis Lodziensis occasione conventus annui, qui inscribitur „Concilium Latinum Lodziense”, cuius argumentum hoc anno De hominum sedibus variis erat. Quod mihi Nicolaus Simonides Varsoviensis persuasit, ut eam publici iuris facerem, textum paulo emendatiorem et annotationibus instructum in manus lectorum trado.*



Ten utwór jest dostępny na warunkach licencji Creative Commons Uznanie autorstwa 4.0 Międzynarodowe (CC BY 4.0), która umożliwia nieograniczone korzystanie, rozpowszechnianie i kopiowanie utworu pod warunkiem odpowiedniego oznaczenia autora i źródła. Zob. <https://creativecommons.org/licenses/by/4.0/deed.pl>

In fabulis, quae Aesopiae appellantur, animalia agunt, perinde ac si humano intellectu praedita essent. Quapropter primae partes nonnumquam simiis tribuuntur, quippe quae Graecis Romanisque antiquis, etsi turpes stultaeque erant, tamen habitum ac mores hominum proprios imitari<sup>1</sup> videbantur (etiam nostra aetate iis, qui aliquem haud ingeniose imitantur, nomen simiae facete imponi solet)<sup>2</sup>. Unius eiusmodi fabulae exemplum in προγομνάσματος Hermogeni falso adscriptis atque postea a Prisciano grammatico Latine versis inveniri potest. Nemo certe est, quin nomen Aesopi clarumque illud „fabula docet” saepe audierit. Qui tamen Prisciani *Praeexercitamina* nesciant, sunt fortasse nonnulli. In primo (*RLM*, p. 551–552 Halm), quod *De fabula* inscribitur, non solum de fabularum origine, appellatione variisque virtutibus pauca praecipiantur, verum etiam quomodo eas nunc breviter, nunc latius disserere oporteat. Sequitur exemplum narrationis brevis:

Simiae convenerunt et consilium habebant de urbe condenda, et quia placuit illis, paratae erant incipere aedificationem. Sed vetus inter eas prohibuit ab incepto eas docens, quod facile capiantur, si intra muros concludantur.

Si narrationem producere volumus, etiam sermo inductis personis fingi potest per sermocinationem, quae vocatur. Exemplum fabulae latius expositae hoc est:

Simiae convenerunt, consiliabantur de urbe condenda: quarum una in medium veniens contionata est, quia oportet ipsas quoque civitatem habere. Videtis enim, aiebat, quod civitates habendo homines habent etiam domos singuli et contionem universi, et in theatrum ascendentes delectant animos spectacionibus et audicionibus variis.

Tum praecipit Priscianus, ut alicuius plebisciti scripti mentionem faciamus et praeterea orationem veteris simiae fingamus. Hanc fabulam (πίθηκοι πόλιω κτιζοντες, quam Benia-

<sup>1</sup> Cf. Hor. *Sat.* I 10, 17–19; Sen. *Con.* IX 3, 12; Plin. *Ep.* I 5, 2.

<sup>2</sup> De simiis, quae fabularum personae erant, praecipue vide W. C. McDermott, *The Ape in Greek Literature*, TAPhA 66, 1935, p. 166, 175–176; id., *The Ape in Roman Literature*, TAPhA 67, 1936, p. 156, 164, 158–161; F. R. Adrados, *History of the Graeco-Latin Fable*, vol. III: *Inventory and Documentation of the Graeco-Latin Fable*, Anglice verterunt L. A. Ray, F. Rojas Del Canto, suppleverunt et ediderunt F. R. Adrados, G.-J. van Dijk, indicibus instruxit G.-J. van Dijk, Brill, Lugduni Batavorum – Bostonii 2003, p. 1065 s.v. Monkey; J. Styka, *Simia blanda an turpissima? Apes and Their Function in Selected Texts by Roman Authors*, [in:] *Birthday Beasts' Book: Cultural Studies in Honour of Jerzy Axer*, edidit K. Marciniak, Artes Liberales, Varsoviae 2011, p. 395–399.

minus Edvinus Perry in *Aesopicis* numero 464 signavit) etsi nonnulli, inter quos Nicephorus Chrysoverges (saec. XII/XIII), Gregorius Cyprius Patriarcha Constantinopolitanus (saec. XIII) et Philippus Melanchthon (fl. saec. XVI), iam rhetorice ornaverant, argumentum tamen eius paulisper tantum elaboraverunt<sup>3</sup>. Prisciani praecepto fretus quoque ego duas orationes, unam simiae iunioris *De urbe condenda*, alteram simiae veteris in contione contra illius legem habitam fingere mihi proposui. Hic incipit fabula:

Simiis de urbe condenda per longum disceptantibus, unus ex iis, cui nomen erat Ctisiae, in conspectum omnium processit et haec verba nulla tardatus verecundia protulit: „O me miserum, qui una cum vobis non dicam «habito», quia hoc vocabulum solis habitantibus alicubi usurpare fas esse censeo. Me autem vitam horridam atque aridam in egestate una vobiscum degere potius arbitror. O vagi bestiarum greges, ubique terrarum peregrini, qui sic metu perterriti nova latibula continuo petitis, tamquam vos natura ad fugam perennem genuerit. Itaque in eo timore perseverantes alium quotannis locum ad contionem habendam quaerimus frustra regem annum denuo creamus, qui nullum lucrum praeter nomen istud regium accipit. Quid est, quod multis aliis in rebus hominum exemplum sequimur – binis enim pedibus nonnumquam ambulamus palmisque cibum ori admovemus – at civitatem nondum habemus? Praeclara, praeclara, inquam, sunt haec Ciceronis verba: «Nam concordiam civium qui habere potest, nullam cum habeat civitatem?»<sup>4</sup>. De aerario, de curia, de theatro quid dicam? Nempe tam inepti atque inurbani sumus, qui fabulas componere et personas induere nesciamus? Hic Epicharmum eiusque Πίθωνα et Plautum, apud quem Pitheco et Simiae, etiamsi secundae aut tertiae, at mandantur partes, satis est nominare. Sed novam quandam vim huic voci, quae est «inurbani», tribuere mihi videor, cum non venustate et facetiis, sed foro et moenibus egentes inurbanos appellaverim. Quid? Aves nonne sibi urbem in nubibus condiderunt, unde fumum victimarum ab hominibus in terra immolatarum interciperent? Illi aliena opera vivere instituerunt, nos, quorum deos ab Indicis vatibus celebratos ferunt, quid deterret, quominus aedes iis vovamus et numen placemus? Quid ego tamen Indorum, si nobis propiora praesto sunt? Quibus enim verbis poeta nescio qui Aegyptiorum religionem deridere voluit, iis mihi ad sententiam meam confirmandam materiem temere fortasse praebuit:

effigies sacri nitet aurea cercopitheci<sup>5</sup>.

Si deorum mente atque ratione omnis mundus administratur et ab isdem animalium vitae providetur, nihil iam caecae fortunae arbitrio relinquamus et quam primum templis constitutis fana aedificemus. Tunc denique vere δημοσίθηκοι appellari poterimus!”.

<sup>3</sup> Cf. Adrados, op. cit., p. 533 de fabula a Philippo Melanchthone elaborata et J.-Th. A. Papademetriou, *Some Aesopic Fables in Byzantium and the Latin West: Tradition, Diffusion, and Survival*, ICS 8, 1983, p. 122–124 de fabulis tempore Imperii Romani Orientalis conscriptis. Vide etiam G.-J. van Dijk, *Aesopica posteriora: Medieval and Modern Versions of Greek and Latin Fables*, vol. II, cum praefatione a F. R. Adrados curata, LediPublishing, Mediolani 2015, p. 1052 (fabula n° 1302 signata).

<sup>4</sup> Cic. *Phil.* 4, 14.

<sup>5</sup> Iuv. 15, 4.

Postquam Ctisias finem dicendi fecit et parumper conticuit, primo silentium, deinde crebrae adsensiones consecutae sunt. Magno tumultu facto clamoreque super hisce rebus exorto vetus quidam simia, qui adhuc tacitus omnia ex longinquo auscultabat, pede lento in medium procedit, lituum ab adolescente accipit et his verbis multitudinem affatur: „Quae Ctisias vobis, Silvicolae, nimio cum fervore et paulo adrogantius pluribus verbis disseruit, adulescentiae eius tribuite. Mihi autem ignoscite, si non eodem genere orationis atque ille utar – istud vehemens atque incitatum dico – sed eo magis, quod senectuti conceditur. Itaque potius argumenta eius quam istam male dicendi licentiam refutare mihi propono. Ab iis necesse est incipiam, quae nobis cum hominibus communia esse non sine aliquo lepore docet. Nam etiam si simili modo manibus cibum ad os ferre videmur, non desunt animalia, ut Procyon lotor, Ailuropoda melanoleuca, alia, quae quamquam idem faciunt, ab urbibus aedificandis se abstinent. At homines eo praecipue a nostra consuetudine differunt, quod cibum, priusquam edunt, coquere atque condire solent. Adeo ars illa condendi cibos apud urbanos viget, ut in numero eorum sint, qui nullius alterius rei curam sustineant. Hi profecto, Ctisia, tibi notissimi esse debent, quippe qui apud Menandrum et Plautum saepe loquentes introducuntur. In fabulis, quas tu compositurus es, neque de re coquinaria quidem argumentum esse potest, nisi *Bananariam* aliquam componere in animo habes. At illis, quos quasi magus ex petaso leporem de *Milite glorioso* et *Pseudolo* traxisti, eiusmodi nomina propterea tribuuntur, quod hominibus simiae ludibrio semper fuerunt. Quid? Proavum meum meminisse se eo tempore, cum apud lanium quendam viveret et inter obsonia reliquasque merces penderet, risui omnibus fuisse<sup>6</sup>. Nam quod de Νεφελοκοκκυγία illa obicis, nihil ad rem attinet, sed fabula est a poeta Atheniensi quodam ficta eaque a veritate longe abhorrens. Restat igitur, ut istam tuam ad colendos deos, ad exstruenda templa cohortationem breviter attingam. Recte, ut mihi quidem videtur, docet Balbus apud Ciceronem, omnia quae sint in hoc mundo, quibus utantur homines, hominum, non ferarum causa facta esse et parata<sup>7</sup>. Xenophanes ille Colophonius vero, si de simiis apud Indos deorum loco placandis audivisset aut de Papione hamadryade ista, quam Aegyptii Mercurio consecratam credunt, risum nullo modo tenere potuisset. Πίθηκος γὰρ ὁ πίθηκος, ut aiunt, κἄν χρύσεια ἔχη σύμβολα<sup>8</sup>. Vides nunc, Ctisia, quantum distet argumentatio tua a re ipsa. A natura nos ad fugam perennem genitos esse arbitraris? Fac ita esse; tamen «naturam mutare difficile est»<sup>9</sup>, ut Seneca noster, et «idem est beate vivere et secundum naturam»<sup>10</sup>, quapropter oro atque obsecro vos, Silvicolae, si vestram civitatem, qualiscumque sit, salvam esse vultis, nolite huius adulescentiae indulgere et urbem contra naturam et mores vestros condere!” Causa a vetere simia sic dicta et perorata, omnes aetate provecti itemque magna pars iuniorum sententiam eius laudant, mox eum regem nemorensem nominant et decernunt, uti videat, ne quid res silvestris detrimenti capiat.

<sup>6</sup> Cf. Phaed. III 4.

<sup>7</sup> Cic. *Nat. deor.* II 154.

<sup>8</sup> Lucian. *Adv. ind.* 4.

<sup>9</sup> Sen. *Dial.* IV 20, 2.

<sup>10</sup> *Ibid.*, VII 8, 2.

Qui apud Romanos oratores futuri erant, „Aristotelio more de omnibus rebus in utramque partem” dicere solebant „et in omni causa duas contrarias orationes” componere<sup>11</sup>. Haud dubium est, quin huius modi oratoriae exercitationes etiam studio litterarum Graecarum et Latinarum nostra aetate deditis profuturae sint. *Praeexercitamina* antiqua enim argumentorum exemplaribus diversis abundant, unde magister materiam ad Latinitatem a discipulis colendam sumat. Itaque fabulam a me ipso fictam spero non solum lectoribus benevolis voluptati fore, sed etiam ad magistrorum animos stimulandos aliquem aculeum habituram esse.

## Argumentum

*Prisciano adhortante fingitur fabula de urbe a simiis condenda, qua perlecta discipuli ad suas ipsorum narrationes Latine conscribendas incitari possunt.*

## Conspectus librorum

Adrados, F. R., *History of the Graeco-Latin Fable*, vol. III: *Inventory and Documentation of the Graeco-Latin Fable*, Anglice verterunt L. A. Ray, F. Rojas Del Canto, suppleverunt et ediderunt F. R. Adrados, G.-J. van Dijk, indicibus instruxit G.-J. van Dijk, Brill, Lugduni Batavorum – Bostonii 2003

van Dijk, G.-J., *Aesopica posteriora: Medieval and Modern Versions of Greek and Latin Fables*, vol. II, cum praefatione a F. R. Adrados curata, LediPublishing, Mediolani 2015

McDermott, W. C., *The Ape in Greek Literature*, TAPhA 66, 1935, p. 165–176

McDermott, W. C., *The Ape in Roman Literature*, TAPhA 67, 1936, p. 148–167

Papademetriou, J.-Th. A., *Some Aesopic Fables in Byzantium and the Latin West: Tradition, Diffusion, and Survival*, ICS 8, 1983, p. 122–136

Styka, J., *Simia blanda an turpissima? Apes and Their Function in Selected Texts by Roman Authors*, [in:] *Birthday Beasts' Book: Cultural Studies in Honour of Jerzy Axer*, edidit K. Marciniak, Artes Liberales, Varsoviae 2011, p. 389–399

<sup>11</sup> Cic. *De or.* III 80.